

www.e-rara.ch

**Officia propria sanctorum quorundam ex proprio tam Constantiensi,
quam etiam Monasterij S. Galli**

Rudolphi, Joseph <<von>>

Typis ejusdem Monasterij S. Galli, Anno M.DCC.XXIII. [1723]

Stiftsbibliothek St. Gallen

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-130371>

Festa Januarij.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

uxorem sibi aliunde, quàm unde lex præcipiebat, eligere. Possumus verò aliam quoque & altiore quidem proferre rationem, ob quam parentes Virginis prætermitti sunt. Sed quæ est ea? Noluit Evangelista recenti adhuc tempore novi illius admirandique partûs Judæis esse manifestum, quòd Christus natus fuisset ex Virgine. Neque proprius noster hic sermo est, sed à nobis de Patrum atque insignium virorum traditione susceptus. Te Deum.

In Laud. fit. com. S. Eusebij. Antiphona. Qui edit. v. Justus ut palma. Orat. Deus qui nos. ut supra. folio 50.

DIE XXVIII. DECEMBRIS.

In Festa SS. INNOCENTIUM.

In tertio Nocturno. Ant. II.

Isti sunt, qui venerunt ex magna tribulatione, & laverunt stolas suas in sanguine Agni.

FESTA JANUARIJ.

DIE XV. JANUARII.

S. MAURI. Abbatis. Duplex. Oratio.

Intercessio nos, quæsumus Domine, beati Mauri Abbatis commendet: ut quod nostris meritis non valemus, ejus patrocinio assequamur. Per Dominum.

D 4

In

In primo Nocturno. Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno. Lectio IV.

MAurus nobilis Romanus, puer à patre Eurychio Deo sub S. Benedicti disciplina oblatus, brevi tantum divinâ gratiâ profecit, ut ipsi Magistro admirationi esset, qui illum sæpè veluti regularis abservantiæ, & virtutum omnium speciem, cæteris discipulis ad imitandum proponebat.

*R. Honestum fecit illum Dominus, & custodivit eum ab inimicis, & à seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem æternam. V. Fustum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei. Et dedit.*

Lectio V.

CUjus adhuc adolescentis, illud admirabilis obedientiæ exemplum à sancto Gregorio Papa commemoratur. Nam cum Placidus monachus in lacum prolapsus, aquarum impetu raperetur, sancti Patris iussu accurrens Maurus, & super aquas incedens, socium capillis apprehensum, ad terram attraxit. Continentiæ tantæ fuit, ut per Quadragesimam bis tantum in hebdomada, & quidem parcissimè cibum sumeret. Somnum stando, vel cum nimia eum lassitudo compulisset, sedendo super aggestum calcis & sabuli strato cilicio, capiebat.

R. Amavit

*℞. Amavit eum Dominus, & ornavit eum: stola
lam gloriae induit eum: * Et ad portas paradisi coro-
navit eum. ℥. Induit eum Dominus loricae fidei, &
ornavit eum. Et ad portas.*

Lectio VI.

Missus in Galliam ab eodem sancto Benedi-
cto, celebri Monasterio extracto, cui an-
nos quadraginta praefuit, monasticam disci-
plinam mihi hinc propagavit. Denique sancti-
tate & mira uis clarus, septuagenario maior
migravit in caelum, anno salutis quingentesi-
sexagesimo quinto.

*℞. Iste homo perfecit omnia, quae locutus est ei Deus,
& dixit ad eum: Ingredere in requiem meam: *
Quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus.
℥. Iste est, qui contempsit vitam mundi, & pervenit
ad caelestia regna. Quia. Gloria. Quia.*

*In tertio Nocturno. Homilia in Evangelium.
Ecce nos reliquimus omnia. Ut in Comuni
Abbatum.*

DIE XXIII. JANUARIJ.

S. MEINRADI. Mart. Duplex, Oratio.

Praesta quaesumus omnipotens Deus: ut
qui beati Meinradi martyris tui natalitia
colimus, intercessione ejus in tui nominis
amore roboreretur. Per Dominum.

In primo Nocturno. Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno. Lectio IV.

MEinradus ex nobili Alemanniæ prosapia oriundus, primis annis sub Erlebaldo monacho, suo proquinquo & magistro eximia sanctitatis viro, in Monasterio Augiæ Majoris eum quâ in virtutibus, quâ in literis progressum fecit, ut quintum & vigesimum annum agens, ad Diaconatus, dein Presbyterij dignitatem promoveretur; nec multò post eodem magistro jam, post Hattonem, Abbate & auctore Ordinis institutum amplexus, totum se monasticæ traderet disciplinæ. Monachus jam divini servitij, perfectionisque studio flagrans sub obedientiæ iugo assiduus se jejunijs, vigilijs, precibusque exercens, cælestem in terris agebat vitam.

*℞. Honestum fecit illum Dominus, & custodivit eum ab inimicis, & à seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem æternam. V. Descenditque cum illo in foveam: & in vinculis non dereliquit eum. Et dedit.*

Lectio V.

SANctus verò communi hâc Monachorum, sicut graviore disciplinâ non contentus, in Ezelium, montem lacui Turicino iminentem, ut liberiùs soli Deo vacare posset, recedens,
septem

Septem annos ibi victu asperam, sed meditationibus suavem & jucundam duxit vitam. Verùm hominum, ob sanctitatis famam, ad se venientium frequentiam fugiens, aliãque sibi sedem quãrens, planitiem quandam inter montes incultam, accessũque difficilem (ubi postea nobile monasterium erectum, vulgò Einsidlen dictum, quod hodiẽque imprimis *Ædiculã* Virginis Deiparæ divinitus consecratã toti mundo est venerabile) reperit, ubi parvã sibi extructã casã, quod reliquum esset ætatis, in paupertate & vitæ asperitate perageret divinis contemplationibus deditus. Quo quidem pietatis præsidio armatus facile elusit graves impugnationes dæmonum; quorum eã fuit aliquando multitudo circumfusus, ut ipsum solis lumen infuscarent; sed mox cœlesti precibus impetratã ope adjutus, ad eò eorum conatus infregit, ut nunquam deinceps eum impugnare sint ausi.

R. Desiderium animæ ejus tribuisti ei Domine.
 * Et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum.
 †. Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.
 Et voluntate.

Lectio VI.

Sexto igitur & vicesimo anno in eremo sanctè peractò, homines quidam scelesti diaboli im-

impulſu capiunt ejus interficiendi conſilium, de quo vir ſanctus cœlirũs edoctus, quàm ſanctiſſimè ad martyrij palmam ſe præparat, ſacræque Eucharistiæ epulo paſtus, fidei clypeo munitus, ardentiffimĩsque erga Deum precibus armatus, forti animo hoſtibus caput ſuum offert, quem etiam ij obviàm ſibi progreſſum, anno ſalutis octingenteſimo ſexageſimo tertio Nicolai Primi Pontificis ſexto, fuſtibus atrociffimè contuſum maſtant Deo victimam; quam quidem acceptiffimam fuiſſe miraculum repentinum oſtendit, cerei nimirum ad ejus caput divinitus ardentis, locique, in quo jacebat, ſuaviſſimo odore completi. Quibus prodigiis perterriti cædis auctores, quàm poſſunt inde celerrimè fugiunt, nec tamen ſupplicium effugiunt. Corvorum enim, quos Martyr paverat, eos uſque inſequentium vocibus proditi meritas latrocinij ſui dederunt pœnas vivi ignibus combuſti. Porro corpus ſancti Martyris ad Monafterium, in quo monaſticam vitam profeſſus erat, delatum, ibidémque honorifico ſepulchro conditum eſt.

*Re. Stola jucunditatis induit eum Dominus: * Et coronam pulchritudinis poſuit ſuper caput ejus. V. Cibavit illum Dominus pane vitæ & intellectus: & aqua ſapientie ſalutaris potavit illum. Et coronam. Gloria Patri. Et coronam.*

In tertio Nocturno, Homilia in Evangelium. Si quis vult venire post me. De Communi unius Martyris.

DIE XXVIII JANUARIJ.

In Festo S. RAYMUNDI. Confess. Semiduplex. Omnia de Communi Confess. non Pont. præter ea, quæ sequuntur.

Oratio.

DEus, qui beatum Raymundum pœnitentiæ Sacramenti insignem ministrum elegisti, & per maris undas mirabiliter traduxisti; concede, ut ejus intercessione dignos pœnitentiæ fructus facere, & ad æternæ salutis portum pervenire valeamus. Per Dominum.

In primo Nocturno. Lektionen de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno. Lectio IV.

RAymundus Barcinone in Hispania ex nobili familia natus, in pueritiâ religionis Christianæ rudimentis imbutus, ad virtutem & pietatem in dies magis augebatur, adolescens Bononiæ utrique juri operam dedit, & Doctor factus jus Canonicum docuit, à Berengario autem Barcinonensi Episcopo in patriam reductus, Ecclesiæ ejusdem Canonicus evasit, qua in dignitate magno integritatis, ac doctrinæ splendore, modestiâ, morumque suavitate fuit, & Deiparæ Virgini singulariter

lariter devotus omnium animos sibi conciliavit. Verùm ad perfectius vitæ genus adspirans, abdicatis iis, quæ mundi sunt, quadragesimo quinto circiter ætatis anno, ordinem Prædicatorum solenniter Barcinonæ professus est.

R. *Honestum fecit illum Dominus, & custodivit eum ab inimicis, & à seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem æternam. †. Iustum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei. †† dedit.*

Lectio V.

EO in ordine mira in eo humilitas enituit: de seipso enim nihil sentire, aliis vero omnia tribuere, libentiùs delitescere, quàm in lucem prodire consueverat. Obedientia singularis, se prorsus abnegato, totus è Superiorum nutu pendebat. Paupertatem coluit, in jejunio (præter dies Dominicos) erat assiduus: in oratione adeò frequens, ut Angelus custos sæpiùs eum ad preces familiariter excitaret. Castitatem etiam integerrimam toto vitæ decursu servavit. Monitu sacræ Virginis Mariæ, postquam unà cum aliis ordinem beatæ Mariæ de Mercede redemptionis captivorum fundavit: in eodem Petrum Nolascum primum Generalem magistrum creavit. A Gregorio Nono Romam vocatus, & Pœnitentiarij sanctæ Romanæ Ecclesiæ dignitate decoratus,

ratus, Archiepiscopatum Tarraconensem sibi ab Apostolica Sede oblatum constantissime recusavit.

*R. Amavit eum Dominus, & ornavit eum, stolam gloriæ induit eum. * Et ad portas paradisi coronavit eum. †. Induit eum Dominus lorica[m] fidei, & ornavit eum. Et ad portas.*

Lectio VI.

Generalis totius ordinis Prædicatorum factus diu reluctans, biennio post ab eo officio, merentibus omnibus spontè se abdicavit. Jacobo Arragonum regi sacræ inquisitionis instituendæ auctor fuit. Multa adhuc vivens miracula patravit: inter quæ illud præclarum, quod ex insula Baleari majori Barcinonem transjecerit, pallio tantùm super aquas expanso, centùmque sexaginta milliaria sex horis confecerit, cunctis circum litora stupentibus. Plenus tandem virtutibus Sacramentis omnibus ritè munitus, propè centenarius obdormivit in Domino, anno salutis millesimo ducentesimo septuagesimo quinto, ipsa Epiphaniæ die: post mortem etiam miraculis claret. Nam è primo ejus sepulchro pulvis nascitur, qui nunquam deficit, eoque multæ gravésque corporis infirmitates curantur. Relatus est in Sanctorum numerum à Clemente Octavo, anno Domini millesimo sexcentesimo primo, tertio Calendas Maij.

R. Iste

Ps. Iste homo perfecit omnia, qua locutus est ei Deus,
 & dixit ad eum: ingredi in requiem meam; *
 Quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus.
Ps. Iste est, qui contempsit vitam mundi, & pervenit ad
 caelestia regna. Quia. Gloria. Quia.

In tertio Nocturno.

Homilia in Evangelium. Sint lumbi vestri. De
 communi Conf. non Pont. Missa, Os justii.

DIE XXIX. JANUARIJ.

In Festo S. FRANCISCI Salesij Confess. Pont.
Semiduplex.

Oratio.

DEus, qui ad animarum salutem beatum
 Franciscum Confessorem tuum atque
 Pontificem, omnibus omnia factum esse vo-
 luisti: concede propitius: ut charitatis tuae
 dulcedine perfusi, ejus dirigentibus monitis, ac
 suffragantibus meritis, aeterna gaudia conse-
 quamur. Per Dominum.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno. Lectio IV.

FRANCISCUS in Oppido Salesio, unde familiae
 cognomen, piis & nobiles parentibus
 natus, a teneris annis futurae sanctitatis indi-
 cia praebuit, morum innocentia & gravitate.
 Adolescens liberalibus disciplinis eruditus,
 mox Philosophiae, ac Theologiae Parisiis ope-
 ram dedit: & ne quid sibi deesset ad animi cul-
 turam,

turam, juris utriusque lauream summa cum laude Patavij obtinuit. In sacra æde Lauretana perpetuæ Virginitatis votum, quo pridem Parisiis se obstrinxerat, innovavit: à cuius virtutis proposito nullis unquam dæmonum fraudibus, nullis sensuum illecebris potuit dimoveri.]

R. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliabitur ei. *V.* Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non nocebit ei. Manus enim.

Lectio V.

Recusatâ in Sabaudia senatu amplissimâ dignitate, Clericali militia nomen dedit: rum Sacerdotio initiatus, & Genevensis Ecclesiæ præposituram adeptus, ejus muneris partes ad eò perfectè explevit, ut eum Granerius Episcopus vindicandis ab hæresi Calviniana Chaballicensibus, aliisque Genevæ finitimis populis, Divini verbi præconem destinârit. Quam expeditionem alacri animo suscipiens, asperrima quæque perpeffus est, sæpe ab hæreticis conquisitus ad necem, variisque calumniis, & insidiis vexatus. Sed inter tot discrimina & agones, insuperabilis ejus constantia semper enituit; Deique ope protectus septuaginta duo millia hæreticorum ad Catholicam Fidem reduxisse dicitur, inter quos multi nobilitate & doctrinâ insignes numerantur.

Re. Posui adjutorium super potentem, & exaltavi electum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliabitur ei. *ψ*- Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. *Manus.*

Lectio VI.

Mortuo Granetio, qui eum sibi coadjutorem decerni curaverat, Episcopus consecratus, sanctitatis suæ radios circumquaque diffudit, zelo Ecclesiasticæ disciplinæ, pacis studio, misericordiâ in pauperes, omnique virtute conspicuus. Ad Divini cultûs augmentum novum Ordinem Sanctimonialium instituit, à Visitatione Beata Virginis nuncupatum, sub regula sancti Augustini; cui addidit Constitutiones, sapientiâ, discretionem, & suavitate mirabiles. Suis itaque scriptis cœlesti doctrinâ refertis Ecclesiam illustravit, quibus iter ad Christianam perfectionem tuum & planum demonstrat. Annum denique agens quinquagesimum quintum, dum è Gallia Annesium regreditur, post Sacrum in die S. Joannis Evangelistæ Lugduni celebratum, gravi morbo correptus, sequenti die migravit in cœlum anno Domini millesimo sexcentesimo vigesimo secundo. Ejus corpus Annesium delatum, in Ecclesia Monialium dicti Ordinis honorificè conditum fuit, cœpitque statim miraculis clarescere. Quibus ritè probatis, ab

Alexandro septimo Pontifice Maximo in San-

ſtorum numerum relatus eſt, aſſignatâ ejus
feſtivaritati die vigeſimâ nonâ Januarij.

R. Iſte eſt, qui ante Deum magnas virtutes operatus
eſt, & omnis terra doctrinâ ejus repleta eſt: * Ipſe in-
tercedat pro peccatis omnium populorum. V. Iſte eſt, qui
contempſit vitam mundi, & pervenit ad cœleſtia regna.
Ipſe intercedat. Gloria Patri. Ipſe intercedat.

In tertio Nocturno. Homilia in Evangelium. Ho-
mo peregrè proficiſcens. Ut in Communi Conf.
Pontif. Miſſa de Communi Conf. Pontif. Statuit ei
Dominus. Cum oratione propria. Et Evang. Ho-
mo peregrè proficiſcens.

DIE XXX. JANUARIJ.

S. MARTINÆ Virg. & Mart. Semidupl. Omnis
de Communi Virg. præter ea, quæ hîc ſunt propria.

In utriſque Veſperis.

Hymnus.

Martinæ celebri plaudite nomini
Cives Romulei, plaudite gloriæ:
Inſignem meritis dicite Virginem,
Chriſti dicite Martyrem.
Hæc dum conſpicuis orta parentibus
Inter delicias, inter amabiles
Luxûs illecebras ditibus affluit
Fauſtæ muneribus domûs.
Vitæ deſpiciens commoda, dedicat
Se rerum Domino, & munificâ manu
Chriſti pauperibus distribuens opes,
Quærit præmia Cœlitum.

A nobis abigas lubrica gaudia
 Tu, qui Martyribus dexter ades, Deus
 Une & trine: tuis da famulis jubar,
 Quo clemens animos beas.

Oratio.

DEus, qui inter cætera potentiaæ tuæ miracula, etiam in sexu fragili victoriam Martyrij contulisti: concede propitius; ut qui beatæ Martinæ virginis & martyris tuæ natalitia colimus, per ejus ad te exempla gradiamur. Per Dominum.

Ad Matutinum. Hymnus.

Non illam crucians unguia, non feræ,
 Non virgæ horribili vulnere commovent:
 Hinc lapsi è superûm sedibus Angeli
 Cœlesti dape recreant.

Quin & depositâ sævitie leo
 Se rictu placido projicit ad pedes:
 Te, Martina tamen dans gladius neci
 Cœli cœtibus inserit.

Te, thuris redolens ara vaporibus
 Quæ fumat, precibus jugitur invocat,
 Et falsum perimens auspicium tui
 Delet nominis omine.

A nobis abigas lubrica gaudia
 Tu, qui Martyribus dexter ades, Deus
 Une & trine: tuis da famulis jubar,
 Quo clemens animos beas.

In primo Nocturno. Lectiones de Scriptura

In secundo Nocturno. Lectio IV.

MArtina Virgo Romana, patre consulari, illustri genere nata, teneris adhuc annis orbata parentibus, Christianæ pietatis ardore succensa, divitias, quibus affluebat, mirâ in pauperes liberalitate distribuit. Sub Alexandro Principe, cum deos inanes colere juberetur, immane facinus summâ libertate detestatur. Quapropter iterum atque iterum affecta verberibus, uncis, unguis ferreis, testarum fragmentis lacerata, acutissimis gladiis membratim concisa, adipe ferventi peruncta, demum in amphiteatro damnatur ad bestias: à quibus illaesa divinitus evadens, in ardentem rogam injecta, incolumis pari beneficio servatur.

*Ps. Propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam: * Et deducet te mirabiliter dextera tua. V. Specie tuâ & pulchritudine tuâ intende, prosperè procede, & regna. Et deducet.*

Lectio V.

EX ejus tortoribus nonnulli, miraculi novitate correpti, Dei aspirante gratiâ Christi fidem amplexi, post cruciatus gloriosam martyrij palmam capitis abscissione promeruerunt. Ad ejusdem preces, nunc terramotibus exortis, nunc ignibus è cœlo tonante delapsis, deorum templa prostrata sunt, & simulacra consumpta. Interdum ex vulneri-

bus lac cum sanguine erupit, splendorque nitidissimus, ac suavissimus odor è corpore emanavit; Interdum sublimis regia in sede divinis laudibus unà cum Cœlitibus interesse visa est.

R. Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem: *
Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ. V.
Propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam.
Propterea.

Lectio VI.

Hisce prodigiis, ejusque in primis constantiâ, acriter permotus judex, caput virgini amputari præcepit; quâ peremptâ, auditâque de cœlo voce, quâ ad Superos evocabatur, urbs tota contremuit, ac multi Idolorum cultores ad Christi fidem conversi sunt. Sacrum Martinæ corpus sedente sancto Urbano Primo, martyrio affectum, Urbano Octavo Pontifice Maximo, in pervetusta ejusdem Ecclesia, ad Mamertinum carcerem, in Capitolini clivi radicibus, cum sanctorum Concordij, Epiphaniij, & sociis corporibus repertum, eodem loco in meliorem formam redacto. atque decentiùs ornato, magno populi concursu, totius Urbis lætitiâ, solenni ritu ac pompâ repositum est.

R. Afferentur Regi virgines post eam proximæ ejus,
 * Afferentur tibi in lætitia & exultatione. *V.* Specie tuâ & pulchritudine tuâ, intende, prosperè procede, & regna, Afferentur. *Gloria Patri. Afferentur.*

In tertio Nocturno. Homilia in Evangelium. Si-
mile erit regnum cœlorum decem Virginibus.
de Communi Virg.

Ad Laudes. Hymnus.

TU natale solum protege, tu bonæ
Da pacis requiem Christiadam plagis :
Armorum strepitus & fera prælia
In fines age Thracios :

Et Regum Socians agmina sub Crucis
Vexillo, Solymas nexibus exime,
Vindæque innocui sanguinis hosticum
Robur funditùs erue.

Tu nostrum columen, tu decus inclytum
Nostrarum obsequium respice mentium ;
Romæ vota libens excipe, quæ pio
Te ri u canit, & colit.

A nobis abigas lubrica gaudia
Tu, qui Martyribus dexter ades, Deus
Une & trine, tuis da famulis jubar,
Quo clemens animos beas. Amen.

DIE XXXI. JANUARIJ

S. PETRI Nolasci Conf. Semiduplex. Omnia de
Communi Confess: non Pontif. præter Orationem &
Lectiones secundi Nocturni.

Oratio.

DEus, qui in tuæ charitatis exemplum, ad
fidelium Redemptionem sanctum Petrum
Nolascum Ecclesiam tuam novâ prole fœcun-
dare divinitùs docuisti ; ipse nobis interces-

sione concede, à peccati servitute solutis, in
 cœlesti patria perpetuâ libertate gaudere.
 Qui vivis & regnas.

Lectioes primi Nocturni. De Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno. Lectio IV.

Petrus Nolascus, Recaudi prope Carcaso-
 nam in Gallia nobili genere natus, singu-
 lari erga proximum charitate excelluit. Cu-
 jus virtutis præfagium fuit: quòd, cùm ad-
 huc in cunabulis vagiret infans, examen a-
 pum ad eum convolavit, & favum mellis in
 ejus dextra construxit. Adolescens parenti-
 bus orbarus, Albigensium hæresim, quæ tunc
 in Gallia grassabatur, execrans, divendito
 patrimonio, in Hispaniam secessit, & apud
 beatam Virginem Montis Serrati votum, quo
 pridem se obstrinxerat, exolvit. Tum Bar-
 cinonam pergens, cùm pro Christi fidelibus
 ab hostium servitute redimendis, omnem pe-
 cuniam consumpsisset, seipsum pro iis libe-
 randis venum ire, aut in illorum vincula suf-
 fici cupere dictitabat.

*R. Honestum fecit illum Dominus, & custodivit eum
 ab inimicis, & à seductoribus tutavit illum: * Et dedit
 illi claritatem æternam. V. Jussum deduxit Dominus
 per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei, Et dedit.*

Lectio V.

Quam gratum Deo fuerit hoc sancti viri
 desiderium, subsequens declaravit even-
 tus:

cus : nam noctu oranti, & de Christianorum in captivitate degentium subsidio multa animo volenti beata Virgo apparens, Filio suo sibi que acceptissimum fore suggessit ; si ad suū honorem Religiosorum Ordo institueretur, quibus præcipue esset cura, captivos ab infidelium tyrannide liberare. Huic cœlesti monito illicò obtemperans, unà cum sancto Raymundo de Pegnafort, & Jacobo primo, Rege Aragoniæ, de eadem re à Dei Genitrice ipsâ nocte præmonitis, Religionem beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum instituit : Sodalibus suis quarto voto obstrictis, manendi in pignus sub Paganorum potestate, si pro Christianorum liberatione opus fuerit.

*✠. Amavit eum Dominus, & ornavit eum stolam gloriæ induit eum, * Et ad portas paradisi coronavit eum. ✠. Induit eum Dominus lorica[m] fidei, & ornavit eum. Et ad portas.*

Lectio VI.

EDito Virginitatis voto, illibatam perpetuò castitatem servavit, patientiâ, humilitate, abstinentiâ, cæterisque virtutibus mirabiliter enituit, Prophetiæ dono illustris, futura prædixit : inter quæ maximè celebratur : quòd Jacobus Rex Valentiam à Mauris occupatam expugnaverit, acceptâ prius ab eo obtinendæ victoriæ securitate. Angeli Custodis, ac Deiparæ Virginis, frequenti apparitio.

ne recreabatur. Senio tandem confectus, de imminente morte certior factus, in morbum incidit, sanctisque refectus Sacramentis, fratres suos ad Charitatem erga captivos cohortatus, & psalmum, Confitebor tibi Domine in toto corde meo, devotissimè recitans, ad illa verba, Redemptionem misit Dominus populo suo, spiritum Deo reddidit, mediâ nocte Vigiliæ Nativitatis Domini, anno millesimo ducentesimo quinquagesimo-sexto. Cujus festivitatem Alexander Septimus die trigesimâ primâ Januarij celebrari præcepit.

R. Iste homo perfecit omnia, quæ locutus est ei Deus, & dixit ad eum: ingredi in requiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus. *V.* Iste est, qui contempsit vitam mundi, & pervenit ad cœlestia regna. *Quia. Gloria. Quia.*

In tertio Nocturno.

Homilia venerabilis Bedæ Presbyteri in Evangelium. Nolite timere pusillus grex. De Communi Conf. non Pont.

Missæ. Justus ut palma. De Communi Conf. non Pont. Oratio prima, ut supra. Evang. Nolite timere pusillus grex.

FESTA FEBRUARIJ.

DIE V. FEBRUARII.

In Festo S. AGATHÆ Virg. & Mart. duplex.

Omnia ut in Proprio Sanctorum.